Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1883

Quelle:
Copyright:

in omnibus prodeſſe ac inſeruire &c. Meminit in hac *Praef.* alterius *Rudolpho* oblati Operis, quod recenſui *Cod.* DCXI. ubi et de Autore quaedam ſubjunxi, aitque praeſentem *lucubratiunculam ſe uertere ad linguam germanicam ex latina uoluiſſe, vt facilius legere omnes poſſint.* Quodſi haec Verſio, ut videtur, ab ipſomet profecta ſit, en rarum Exemplum hominis *Itali* lingua *Germanica* pro aevo ſuo perfecte potiti. Praefatio data *Olomucij* 1572. Opus ipſum inchoat: *Tenebrarum princeps ille Sathana noſtrarum animarum ſalutis hoſtis perpetuus* &c. et oratione continua evincere nititur, Libertatem circa Sacra quidvis ſentiendi Legibus tam divinis, quam humanis repugnare; Adverſarios autem jam inde a *Wiclefo* et *Huſſo* ſibi proponit. *Fol.* 52. p. 2. poſt *Petrum a Soto* et Card. *Hoſium* ad ſuum quoque Librum *de Eccleſia Dei a concilio malignantium diſcernenda* adpellat, quem, uti et praeſentem et continuo mox ſubſecuturum typis nunquam excuſos fuiſſe putem.

II. *fol.* 73. ſuccedit promiſſa Operis Verſio inſcripta: *Commentarius Wieder die gottloſe ordnung vnd conſtitution das einem ieden on alle Straff nach ſeinem willen vnndt wolgefallen vom glauben zue richten vnndt Predigen vergönnet vnnd frey ſeyn ſoll.* Praefatio omiſſa eſt.

CCCCLXXVII.

Codex chartaceus lat. germ. 629
Sec. XVI. Folior. 136. itidem *Rudolpho* Imp. oblatus inſcribitur: *De uitandis tollendisque hæreticorum libris Petri Illicini J. V. Doctoris et Can. Olomucen. libellus latinogermanicus. Anno ſalutis* 1577. Praefatio ad *Rudolphum* incipit: *Quemadmodum in locis editis conſtructæ ac bene munitæ, uallatæque arces* &c. In hac de praeſenti foetu: *quem libelli ſupplicis loco ad tuam Maieſtatem mittendum exiſtimavi — ut Catholicorum optimorumque Imperatorum, Conſtantini, Gratiani, Theodoſii, Valentiniani, Martiani, Honorij, Friderici, quorum tu principatum tenes, ſequaris veſtigia, qui hæreticorum libros et ſcripta omnia damnarunt et diligenter perquiri, comburique præceperunt ſeueriſſimis pœnis aduerſus eos ſtatutis, qui uel occultarent, uel deſcriberent, uel domi conſeruarent, uel in ſermonibus citarent. In chalcographos et huiusmodi librorum uenditores animaduertendum eſt, et conſtituendum, ut nullus ab Epiſcopis non examinatus liber excudatur: nullus uenalis circumferatur. Liceat etiam Eccleſiae Antiſtiti ubicunque deprehenderit, auferre: alioqui maior quotidie fiet in ſancta religione labes.* &c. Atque hoc argumentis omnibus in ipſo Libello contendit Autor, in quo et ad Librum ſuum *de diſcernenda Dei Eccleſia* ſe rurſum refert,